

COMPITI DELLE VACANZE ESTIVE CLASSI SECONDE – A.S. 2025-26

LATINO

Scipione e Annibale a Zama

Scipione e Annibale, dopo un colloquio in cui erano in disaccordo sulle condizioni di pace, combattono con i rispettivi eserciti. I Cartaginesi vengono sconfitti e devono accettare le decisioni dei vincitori.

Anno ducentesimo secundo a. Chr.n. clade Carthaginienses territi Hannibalem ab Italia revocaverunt patriam defensum. Postquam Zamam venit, a Scipione petiit ut colloquium haberet. Die locoque colloquio constitutis, cum vero eorum sententiae de pacis condicionibus discreparent, proelium postero die commissum est. Carthaginensibus victis, Hannibal cum quattuor tantum equitibus fugit. Tunc Carthaginienses ad Scipionem legatos miserunt pacem petituros. Victis leges imposuit Scipio. Legati, cum nullam pacis condicionem recusarent, Romam missi sunt. Ibi ea, quae a Scipione imposita erant, senatus populique Romani auctoritate confirmata sunt. Scipio autem, pace terra marique facta, exercitum suum in naves imposuit Romamque revertit. In urbem intrans, ab ingenti civium multitudine acceptus est et propter victoriam “Africanus” appellatus est.

La pazienza di Socrate

Aulo Gellio riferisce un aneddoto riguardante il filosofo greco Socrate, giudicato l'uomo più saggio del suo tempo.

Socrates ille, quem sapientissimum omnium oraculum Apollinis praedicavit, quanta animi tolerantia fuerit multis argumentis ostendere possumus. Hoc unum tamen satis esse putamus. Nemo ignorabat quam morosa et iurgiosa esset Xantippe, eius uxor; ea irarumque et molestiarum muliebrium per diem perque noctem scatebat, attamen ille aequo et hilari animo fuit. Cum olim Alcibiades ex eo quaesivisset cur mulierem tam acerbam toleraret, “Quid – inquit – magis idoneum viro esse putas ad patientiae exercitationem quam petulantem uxorem? Dum uxorem domi tolero, nonne exerceor assidue et adsuesco foris quoque civium meorum petulantiam moderate ferre?”. His in verbis quanta sapientia et moderatio fuerit quis non videt?

Il traditore Timocare

Un amico del re Pirro è disposto a tradirlo e ad ucciderlo, ma il console romano Fabrizio dimostra di essere estremamente leale, fornendo un esempio di integrità morale ai Romani.

Cum Pyrrhus rex in Italia esset et unam atque alteram pugnam prospere pugnasset Romanique solliciti essent et pleraque Italia ad regem descivisset, tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrrhi amicus, ad Caium Fabricium consulem furtim venit, praemium petivit et promisit se necaturum esse regem venenis; dixit: “Id facile erit quoniam filius meus pocula in convivio regi ministrat”. Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. Senatus ad regem legatos misit mandavitque ut de Timochare nihil proderent, sed monerent ut rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem defenderet. Pyrrhus populo Romano laudes atque gratias scripsit et captivos reddidit.

I doveri dei giovani e i doveri dei vecchi

Secondo Cicerone ogni età è caratterizzata da alcuni obblighi: i giovani devono rispettare gli anziani e saper dominare le passioni, gli anziani, invece, devono collaborare con gli altri concittadini mettendo a frutto la loro esperienza e la loro saggezza.

Quoniam non eadem officia omnibus aetatibus tribuenda sunt, sed alia sunt officia iuvenum, alia seniorum, aliquid nobis de hac distinctione dicendum est.

Adulescentibus senes maxime verendi sunt atque ex iis deligendi sunt optimi, quorum consilium et auctoritatem iuvenes sequantur; nam inscitia iuvenum regenda et constituenda erit prudentia senum, qui longa aetate magnum omnium rerum usum adepti sunt. Praeterea haec prima aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in laboribus et animi et corporis, ut iuvenum industria et in officiis bellicis et in civilibus vigeat. Atque etiam cum animos relaxabunt et dabunt se iucunditati, intemperantia iuvenibus non adhibenda erit, ut verecondia servetur. Senibus autem labores corporis minuendi erunt, animi exercitationes contra sunt augendae; opera vero danda est ut consilio et prudentia iuvenes et maxime rem publicam adiuvent.

I veri filosofi mettono in pratica quanto insegnano agli altri

Seneca invita alla coerenza i filosofi e li paragona ai timonieri di una nave.

Nullos mortales peiores iudico quam philosophos qui aliter vivunt quam (= “diversamente da come”) vivendum esse praecipunt, omni vitio quod reprehendunt obnoxii. Non magis mihi potest prodesse quisquam talis praeceptor quam gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela: quid me potestadiuvare rector navigii attonitus et vomitans? Maioribus tempestatibus vita iactatur quam ratis? Non est dicendum, sed gubernandum. Omnia quae philosophi dicunt, quae, turba audiente, iactant, aliena sunt: dixit illa Platon, dixit Zenon, dixit Chrysippus et Posidonius et ingens agmen nominum tot ac talium. Quomodo probare possint sua esse monstrabo: Faciant (= “facciano”) ea quae dixerunt.

Alessandro si pente del gesto che ha commesso

Curzio Rufo racconta che Alessandro Magno, ebbro ed in preda all'ira, durante un banchetto uccise il suo caro amico Clito e poi se ne pentì amaramente.

Rex Alexander, postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit et pigere eum facti coepit. Clitum amicum senem, tunc immodica libertate abusum, egregium bello virum et, nisi puderet fateri, servatorem sui, a se occisum esse inter epulas videbat. Indignam necem querebatur, exclamans: "Me miserum, iam tempus praeterit, sero me poenitet mei facinoris!". Manabat toto vestibulo cruor Cliti paulo ante convivae: vigiles attoniti stabant, liberioemque paenitentiam solitudo excipiebat. Nunc Alexandrum maxime taedebat vitae; accesserat paenitentiae memoria nutricis suae, sororis Cliti, cui egerat tantum funus pro tot beneficiis. Fere amens, quadriduo in inedia perseveravit, donec exercitus universi precibus exoratus est, ne ita mortem unius doleret, ut universos perderet.

La vecchiaia può essere un'età felice (da Cicerone)

I senatori dei tempi antichi Curione, Cincinnato, Servilio Ahala, anziani e ormai dediti alla coltivazione dei loro campi, chiamati a servire la patria nel momento del bisogno, ebbero certamente una vecchiaia felice.

Cum Samnites Curio ad focum sedenti magnum auri pondus attulissent, repudiati sunt; non enim aurum habere praeclarum se putare dixit, sed eis qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus efficere non iucundam senectutem? Sed venio ad agricolas. In agris erant tum senatores; aranti Lucio Quinctio Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse creatum; cuius dictatoris iussu magister equitum Cius Servilius Ahala Spurium Maelium regnum adpetentem occupatum interemit. A villa in senatum arcessebatur et Curius et ceteri senes, ex qui qui eos arcessebant, viatores nominati sunt. Num igitur horum senectus miserabilis fuit qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio an nulla beatior possit esse.

La difficile carriera politica di un *homo novus* (da Cicerone)

Cicerone mette in evidenza come la sua condizione di homo novus lo sfavorisca rispetto ai membri delle famiglie illustri. Si paragona a Catone il Censore, che volle eccellere per virtù, e afferma che sia inevitabile crearsi inimicizie.

Non idem licet mihi quod iis (licet) qui nobili genere nati sunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur; longe enim alia lege et condicione in hac civitate mihi vivendum est. M. Catonem memini, hominem sapientissimum et vigilantissimum; qui cum se virtute non genere populo Romano commendandum esse putaret, cum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias, et maximis laboribus suis usque ad summam senectutem summa cum gloria vixit. Haec eadem est nostrae rationis via. Videmus quanta sit in invidia quantoque in odio apud quosdam nobiles homines novorum hominum virtus et industria; si ullum locum aperuerimus suspicioni aut crimini, accipiendum statim vulnus erit; semper nobis vigilandum, semper laborandum erit. Tacitae magis et occultae inimicitiae timendae sunt quam apertae. Hominum nobilium non fere quisquam nostrae industriae favet; nullis nostris officiis benevolentiam illorum adlicere possumus.